



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Honore, Dignis Vel Indignis, Jvste Vel Inivste, Deo
Semper Jvstissimo, Dato, Negato, Violato**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1650

Capvt IX. Coniugibus, Dominis, Benefactoribus, rerum peritis, & amicis
honorem deberi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48689](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48689)

CAPVT IX.

Coniugibus, Dominis, Benefactoribus, re-
rum peritis, & amicis honorem
deberi.

§. I.

Coniugibus quis honor debeat?

Honos debetur coniugibus. Ho-
norantur autem, si amantur. Est
enim & amor, si signis externis
prodatur, testimonium excellentiæ eius, qui
amatur. Qua de causa & Paulus ait: *Vir
diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ec-
clesiam, & se ipsum tradidit pro ea. Ita & vi-
ri debent diligere uxores suas, ut corpora sua.
Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit. Vxo-
ribus autem quid dicit? Mulieres viris suis
subditæ sint, sicut Domino; quoniam vir caput
est mulieris: sicut Christus caput est Ecclesie.*
Hæc sunt officia viri & vxoris; vir enim
vxori amorem, vxor viro debet timorem
& reuerentiam, quasi subdita. Non imi-
tantur Christum mariti in uxores suas tru-
culenti; sed qui prudentia, grauitate, & pa-
tientia commune onus ferunt, quemadmo-
dum tulit Christus peccata Ecclesie suæ ac
sponsæ, quam sanguine suo expiauit; Neque
officium

Ephes. 5.
25.

benefactorib. rerum peritis, amicis debitus. 139

officium suum faciunt vxores, quæ audent
procaciter, & inuerecundè maritis obloqui,
quos deberent reuereri & cum reuerentia
alloqui, sicut Sara reuerita est maritū suum
Abraham, quem *Dominum* vocauit: aut si-
cut Monica honorauit Patricium virum in-
fidelem, de qua D. Augustinus Deum sic al-
loquitur. *Educata pudicè, sobriè, potiusq; à*
te subdita parentibus, quàm à parentibus tibi, ô
Domine, ubi plenis annis nubilis facta est, tra-
ditā viro seruit veluti Domino, & satagit eum
lucrari tibi, loquens te illi moribus suis, quibus
eam pulchram faciebas & reuerenter amabilem
atque mirabilem viro suo. Secus agunt illæ
vxores, quæ dominæ vocari, & esse volunt
virorum suorum; atq; vt dominantur, non
prudentem maritum quærunt, sed vecordè
& vxorium, ac stolidum, vt eum habere
possint sub sua potestate, eoq; tamquam
mancipio vti: cumq; aliàs mulierem ornet
silentium, illæ luculentè ostendunt, non
desse sibi verba, quoties vir, sine illarum
nutu, pedem mouet. Vno verbo in illa do-
mo nec obedientia est, nec reuerentia, in
qua mulier & Imperator est, & miles. Hæ,
quæ malunt dominari dementibus maritis,
quàm sanis ac prudentibus parere, teste

Gen. 18.

12.

S. August.

lib. 9.

Confes-

sion. c. 9.

Plutarcho, perinde faciunt, ac si quis in itinere malit ducere cæcum, quàm sequi videntem, & viæ gnarum. Itaq; vir uxorem debet diligere, vxor virum vereri. Sic S. Pauli, & verò etiam S. Petri suprâ citato præcepto fiet satis; sic coniugium erit honoratum. Vt enim corpus nihil potest absq; animo, neq; animus rectè valet, nisi corpore incolumi, ita inter uxorem & maritum, nisi sit honor & amor, non est coniugium, sed tormentum. Fusè de hoc argumento egit in tractatu de faustis & infauis matrimonijs.

§. II.

Servos dominis suis honorem debere.

5. Quemadmodum Apostolus iubet mulieres viris suis subditas esse, sicut Domino, ita Ephes 6, & servis dicit: *Servi obedite dominis carnalibus, cum timore & tremore in simplicitate cordis vestri, sicut Christo, non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes, sed ut seru Christi, facientes voluntatem Dei ex animo cum bona voluntate seruientes, sicut Domino non hominibus, scientes quoniam unusquisque quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino, siue seruus, siue liber. Et vos domini eadem facite illis, remittentes minas: scientes, quia*

benefactorib. rerum peritis, amicis debitus. 137

quia & illorum & vester Dominus est in calis:

& personarum acceptio non est apud eum. Ea-

dem repetit ad Colossenses scribens. Hono-

rant ergo dominos Serui, dum eis cum ti-

more seruiunt. D. Hieronymus tradit, sub

initia fidei Christianæ, multos, cum audi-

rent se vocari ad libertatem Christianam,

putasse per eam solui à vinculo seruitutis;

sicut, priore sæculo, putarunt rustici in Ger-

mania, seruilem adhuc, vt dicitur, capil-

lum præ se ferentes, quos tam in suam,

quàm in dominorum perniciem ad rebellio-

nem accendit & armauit Lutherus; ita vt

ex eis cæsa sint centum millia. Quem erro-

rem dudum euertit Concilium Gangrense

hoc decreto: *Si quis seruum diuini cultus,*

aut aliquo religionis prætextu doceat contemne-

re dominum, & recedere à seruitute, non autem

in bona voluntate & omni honore seruire domi-

nis suis, anathema esto. Ait autem S. Paulus,

Serui obedite dominis carnalibus (seu sæculari-

bus) cum timore & tremore, vt seruilis con-

ditio exigit; immò quia Christus in iudicio

huius obedientiæ à vobis rationem exiget;

vnde ad Colossenses addit, timentes Deum,

obedite. Nec obedientiam tantùm exigit,

sed obedientiam simplicem, non fraudu-

Coloss 3.
22.

S. Hieron.
in ep. ad
Ephes.

Concil.
Gangrés.
can. 3.

Col. 3. 22.

Plato di-
al. 8. de
legibus.

Gen. 37.
& 39.

Tit. 2. 9.

lentam; & sicut Christo, non fictè, non coactè ut serui Gentiles faciunt plerumque, de quibus Plato scribit: *Nibil in animo seruiente integrum est, nec quidquam seruorum generi est credendum, quod & sapientissimus Poëta testatur, cum sic ait: Dimidium mentis Iuppiter illis aufert, qui seruituti subiecti sunt.* Fides Christi hanc barbariem emendat; ut dici possit, quod Plato ibidem habet: *Multi iam serui sunt meliores ad omnem virtutem fratribus & filiis, qui domos, & rem dominorum omnem, ipsosq; dominos seruant.* Qualis seruus fuit Pharaonis Ioseph Patriarcha in Ægypto, venditus à fratribus, & S. Paulinus Nolanus, qui se ipsum Wandalis, pro viduæ filio, tradidit in seruitutem, pium & fortem spiritum seruili nomine includens. Ob candidos mores ac sinceritatem, Romani veste candida donabant seruum, cum eum in libertatem affererent; tenentesq; caput eius dicebant: *Hunc hominem liberum esse volo, & mittebant eum manu sua.* Tales seruos, ob mores quò minùs expectatos, hoc laudabiliores, saltem post hanc vitam, DEVS quoque manu mittet. Vult itaque & alibi Apostolus *seruos dominis subditos esse, in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes; sed*

benefactorib. rerum peritis, amicis debitus. 139

sed in omnibus fidem bonam ostendentes, ut do-
ctrinam Saluatoris nostri Dei ornent in omni-
bus. Vel Comicum audi:

Qui hero suo seruire vult, bene seruit ser- Plaut. in
Perfa,
uitutem,

Na adepol illum multa in pectore suo collo-
care oportet,

Qua hero placere censeat presenti atq; ab-
senti.

§. III.

Quo modo tractandi sint serui, ut Dominos suos
honorent?

Multa hinc possent exempla recenseris ho-
noris, quem serui dominis suis obtulerunt;
ego quonia dominus domino, & seruus ser-
uo praestat, vnicum apponam de Urbini Pano-
pionis seruo. Qui cum ad dominum proscri- Val. Max.
lib. 6. c. 2.
ptum occidendum domesticorum indicio certio-
res factos milites in Reatinam villam venisse
cognosset, commutata cum eo veste, permutato
etiam annulo, illum postico clam emisit, se au-
tem in cubiculum ac lectulum recepit, & ut
Panopionem occidi passus est. Breuis huius facti
narratio, sed non parua materia laudationis.
Nam si quis ante oculos ponere velit subitum
militum accursum, conuulsa claustra, minacem
vocem, truces vultus, fulgentia arma; rem-

vera

vera estimatione prosequetur. Nec quàm citò dicitur aliquem pro alio mori voluisse, tam id ex facili etiam fieri potuisse arbitrabitur. Panopion autem quantum seruo deberet, amplum ei faciendi monumentum, ac testimonium pietatis grato titulo reddendo testatus est. Hoc est, quod etiam Apostolus à dominis vicissim exigit, cum ait: *Et vos domini eadem facite illis: remittentes minas: scientes quia & illorum, & vester Dominus est in calis, & personarum acceptio non est apud eum.* Itaq; non est imperiosè cum illis, & sicut Lacedæmonij olim cum Messenijs egerunt, teste Iustino, agendum, non superbè, non tyrannicè, sed tamquam cum conseruis, quia vni Deo pariter seruiunt & dominus, & seruus; & talem se dominis exhibebit cælestis Dominus erga illos, qualem se terreni isti exhibent erga suos seruos, vtiq; dicturus: *Nonnè oportuit & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum?* Et vel Macrobius docet, seruos ab heris benignè tractandos esse, natura ita iubente, & lege conditionis humanæ, quippe cum ex eisdem elementis constent vtriq;, & seruitus non à natura, sed à fortuna sit introducta. *Hinc nostri maiores, inquit, omnem dominis inuidiam, omnem seruis contumeliam*

Ephes. 6.
6.

Iustin.
lib. 3. Vi-
de S. Au-
gustin.
lib. 19. de
ciuit.
c. 16.

Matth.
18. 33.

Macreb.
lib. 1.
Saturn.
c. 11.

benefactorib. rerum peritis, amicis debitus. 141

meliam detrahentes, dominum patrem familias, seruos familiares appellauerunt. Colant ergo te potius serui tui, quam timeant. Cogita, quem seruum tuum vocas, ait Seneca, ex eisdem seminibus ortum, eodem fructu calo, aequè sperare, aequè viuere, aequè mori. Nam tu illum ingenuum videre potes, ille te seruum. Stare ante limen Callisti dominum suum vidi, & alijs intrantibus excludi. Mariana clade multos splendidissimè natos fortuna depressit: alium ex illis pastorem, alium custodem casa fecit. Nescis qua etate Hecuba seruire cœperit, qua Croesus, qua Dary mater, qua Plato, qua Diogenes? Vidit Demonax quemdam in seruum crudeliter verberibus sæuientem, illumque ita compellauit: Vide, ne seruo tuo similis fias; immò deterior. Nam Diogenes dicere solebat, inter seruos ac dominos malos, præter vocabula, aliud nihil intere^{re} quòd mancipia seruirent dominis, dominum cupiditatibus: significans vtrosque esse seruos; miseriorè seruitutè seruire dominos, quàm mancipia, si sint improbi. Nam qui ducitur affectuum arbitrio, & multos habet dominos, & turpes, & inclementes. Quamobrem rectè monuit sapiens: *Seruus sensatus sit tibi dilectus quasi anima tua: ne defraudes illum*

Senec.
ep. 47.

Laërt.
lib. 6.

Elef. 70

2'

142 Cap. IX. Honor coniugibus, dominis,
lum libertate, neque inopem derelinquas illum.
M. Crassus magnam seruorum turbam do-
mi alebat, & præcipuam eorum agebat cu-
ram, discantibus astans interdum, & do-
cens eos; dicebatque: *Hanc oportere præci-
puam esse patris familias sollicitudinem, nosse,
quot sint rei familiaris animata instrumenta.*
Vtinam & nostri domini ita agerent, ne dici
possit, *seruis nullum otium*; sed Christianè il-
lis inuigilarent, eosque docerent, cum doctri-
na sacra, bonos mores, neque à templis ad-
eundis impedirent! haberent tunc non rei
tantum familiaris, sed etiam salutis suæ
animata instrumenta, vnà enim orarent,
vnà laudarent Deum; iste clementer & piè
iubendo, ille libenter & sanctè obediendo.
Quales fuere SS. martyres Vitalis & Agri-
cola, quorum martirium describit S. Am-
brosius. Nam prior horum posterioris ser-
uus fuit, sed talis seruus, vt etiam consors &
martyrij collega esse vellet; in quem perse-
cutores omnia tormentorum genera exer-
cuerunt, ita vt non esset in corpore eius sine
vulnere locus: quæ constanter perferens, in
oratione spiritum Deo reddidit. Agricola
autem plurimis vndique clavis eruci imma-
niter affixus interemptus est. Vnà passi, vnà
sepulti,

sepulti, vnà sunt coronati. Translationi eorum S. Ambrosius, cùm Bononiæ interesset, martyris clauos, sanguinem triumphalem, & crucis lignum se collegisse refert, ac sub sacris altaribus condidisse.

Baron. in
Martyrol.
Rom. 4.
Neuemb.

§. IV.

Cur? & quo modo honorandi sint benefactores?

6. Benefactoribus iure naturæ dandus est honos: alioquin enim ingrati animi vitium incurrimus. Nam *sic ea qua vtenda accepimus, maiore mensura reddimus: quid beneficio prouocati facere debemus? an non imitari agros fertiles, qui multò plus adferunt, quàm acceperunt?* ait Tullius. Et Poëta. *Quod bene fit bonis, haud perit.* Et potest quidem varijs modis gratia pro gratia rependi, potest par pari reddi; potest reddi pro plumbo aurum; potest quis ab auro reddendo excusari: sed ab honore reponendo nemo excusatur: omnes possunt honorare suum benefactorem; dum eius liberalitatem ac beneficia prædicant; dum ei gratias habent; dum, quod benefactum est, non obliuiscuntur; dum quocumq; modo eum colunt; quo pacto non solùm Manue voluit honorare Angelum sibi apparentem, sed etiam Tobias

Cic. lib.
1. de offic.

Plaut. in
Rud.

Iudic. 13
17.

Rapha-

- Raphaëlem, de quo ad filium dixit pater: *Quid possumus dare viro isti sancto, qui venit tecum? Et respondens Tobias dixit patri suo: Pater, quam mercedem dabimus ei? aut quid dignum poterit esse beneficijs eius?* Et recensuit beneficia accuratè. Abraham victoria & spolijs lætus, quo honore acceptus est à Rege Sodomorum? qua gratulatione & pompa? Ruth quantâ reuerentiâ *cadens in faciem suam, & adorans super terram, dixit ad eum: Vide mihi hoc, ut inuenirem gratiam ante oculos tuos?* &c. Innumera sunt exempla sacra & profana eorum, qui benefactores suos honorauerunt. Ægyptij non Dijs tantùm, aut hominibus, sed ipsis quoque brutis animalibus grati esse voluerunt. Romulus & Remus, cùm expositi ad Tiberim essent, & à lupa nutriti, eius beneficij memores Lupæ simulachrũ Romæ posuerunt.
- Marc. 10. 42. *Quid miremur, Deum dixisse, eum, qui haustum aquæ frigidæ, nomine suo, porrigeret, mercedem non perditurum? Agrippa cùm Romæ esset, atque eum ob falsas suspensiones Tiberius catenis ante palacium ad arborem vinciri iussisset, vt inde in carcerem duceretur; eo in loco, propter solis ardorem, animique molestiam, magna siti torquebatur;*

benefactorib. rerum peritis, amicis debitas. 145

quebatur; vt Baptista Fulgosus narrat. Ibi ergo prætereuntem Taumastem vidit Caij seruum, aquæ prægelidæ vas ferentem; orauit, vt bibere se sineret. Quod ille amanter cùm fecisset, dixit Agrippa, se pro hac re gratiam aliquando ei relaturum. Haud multò post igitur Tiberio Caius in principatu successit, à quo Agrippa, qui in eius contemptum captus fuerat, liberatus, atq; in Iudæa rex constitutus fuit, qui tunc à Caio impetrauit, vt eius precibus Taumastes liberaretur. Itaque postea in suorum numerum acceptum, regni procuratorem fecit: moriensque testamento cauit, vt vxor atque liberi, eodem apud se loco Taumastem retinerent. Si ergo & Agrippa, & Deus ipse pro frigida aqua honorant dantem, an non pro maioribus beneficijs, maior quoque honor erit rependendus? Creditori præter sortem numeramus extra ordinem; beneficiorum usum cur esse gratuitum iudicemus? Quia,

Aristot.
lib. 4.
Ethic.

vt Aristoteles ait, *laus & gratiarum actio debetur danti*; sicut enim mensarij non grauatim reddunt deposita pignora, vt quæ in hoc ipsum acceperint, vt restituant; sic nos, quod ab alijs accepimus. Enim verò, vti faba & lupinum non exhaurit, sed stercoreat

K agrum,

agrum, ita gratus, & refert, quod acceptum
& meliorem reddit fortunam eius, à quo
beneficio adiuuatur: cum autem gratia tanta
referri non potest, quanta debetur, habenda
tamen tanta est, quantam maximam
animus capere potest. Verum de hoc argu-
mento, ij qui de beneficijs, & gratitudine
scripsere, prolixè disputarunt. Nobis
ea cura esse debet, vt benefacta non solum
non occultemus, aut malè locata diei per-
tiamur; verum etiam, vt delicta ipsa alio-
rum in nos pensemus benefactis.

Vide Senecam de
beneficijs,

§. V.

*Rerum, in quacumque re, periti, quantum
sint honorati?*

7. Rerum peritis honorem deberi, in-
notum est, quia honor ipse nihil est aliud
quàm testimonium excellentiæ; peritia au-
tem rerum utiq; est quædam excellentia.
Hinc in scholis Baccalaurei, Magistri, Do-
ctores creantur; neq; ipsi opifices antè ma-
gistrum vocantur, quàm peritiæ suæ specimina
ediderunt. Tantò autem isti magis honore
digni sunt, quia sunt saltem in certo genere
sapientes. Dicitur enim belli dux sapiens
miles, dicitur sapiens pictor, sapiens archi-
tectus. Cur autem dicitur: *Honora medi-*

(147)

benefactorib. rerum peritis, amicis debitus. 147

eum, propter necessitatem, & non potiùs propter excellentiam, aut sapientiam? ex necessitate nimirum medici monemur, ne parci in illum simus, quæ si non esset, parum illi ob sapientiam, aut excellentiam suam daremus. Nunc autem ex necessitate illius excitamur ad diuinam sapientiam, excellentiamq; laudandam. Quamobrem non dicitur tantùm: *Honora medicum propter necessitatem*, sed additur mox causa illa: *etenim illum creauit Altissimus. A Deo est enim omnis medela, & à rege accipiet donationem.* Qualẽ accepit Theombrotus medicus, seu, vt alij eum nominant, Eristratus, ab Antiocho rege, quem talentis centum sanauit. Manilius Cornutus, provinciæ Aquitanix legatus, mentagra foedissima correptus, & sanitati restitutus, Medico, honorarij nomine, persoluit ducenta sestertia, quæ summa est nostrorum aureorum 4000. Eristratus, ob Antiochum ab insano amore, malè sanatum, à Seleuco patre eius donatus est sexaginta millibus aureorum. Recentiora sunt exempla. Thadaus Florentinus Medicus, in tanta fuit authoritate, vt extra urbem proficiscenti sæpe in singulos dies numerarentur 50. coronati, & ad Papam

Vide Philipp. Ca-
merar.
cent. 1.
Horar.
subsecin-
6. 4.

K 2

Hono-

Honorium IV. ab eo habuerit 100. Itaque toto, quo valetudinis illius curam gessit, tempore, fertur decem millia coronatorum collegisse. Petrus etiam Apponensis, medicus Patauinus, numquam valetudinis curandæ causa ad ægros extra urbem Bononiensem vocatus prodijt, quin acceperit dietim 50. coronatos. Et sunt qui dicant eundem, ad Pontificem Honorium ægro- tantem accersitum, singulis diebus, quadringentos coronatos, salarij loco, accepisse. Ludouicus quoque XI. rex Gallia, apud Cominæum, medico suo, menstruum stipendium decem aureorum millia dare solebat; sic, vt intra quintum mensem ille ab eo ad quinquaginta quatuor millia reportaret. Nec medicus iste dumtaxat, sed etiam nepos eius, atque eius ceteri vel propinqui, vel amici, eandem ob causam fuerunt honorati. Nam nepoti rex Episcopatum Ambianensem, amicis munera publica largiebatur. Quamquam sint, qui existiment, eam liberalitatem metu potius, quam reuerentia fuisse extortam. Persuaserat enim regi medicus, si ab eo discederet, regem diu superstitem viuere non posse. Non repetam hic fabulosa illa de Apolline seu Phœbo, eiusq; filio

benefactorib. rerum peritis, amicis debitus. 149

filio Æsculapio, de Machaone, de Podalirio; nec, veriora illa, de Hippocrate, de Galeno, de Rufino Nicaënsi, de Daphno Ephesio, de Auerrœe, qui non more anicularum morbo morbum addere solebant, sed ipsam quoque arte sua mortem ab ijs, qui depositi deploratiq̄ue fuerant, & iam alterum pedem in cymba Charontis habebant, depulerunt. In his quàm verus erat versiculus ille,

Dat Galenus opes? & dat Galenus honores?

Nam in ipsis isti opibus honorabantur. Cur non Deus? *Eccli. 38*

A Deo est enim omnis medela. Febricitantibus, inquit D. Chrysoſtomus, *medicos conuocamus, cubiculum certum tribuimus, & medicina legibus parere impellimus.*

S. Chryſ. in c. 23^a Matth.

Quas si negligunt, irascimur, & custodes apponimus, qui eos Medicorū præceptis viuere cogant.

Quòd si magni pretij medicina opus fuerit, libenter impensam subimus, & Medicis ipsis non paruam mercedem deponimus. At verò quando nos ipsi, heu, animâ egrotamus, ne ad medicum quidem accurrere volumus, nullas pecunias impendere, nihil penitus prouidere; sed quasi publico quodam inimico & hoste nostro iacente, sic anima laborante afficimur.

K 3

S. VI.

§. VI.

Iuri peritorum, ac precipuè Christophori Longolij honor.

Ne autem medicis tantum cum opibus cumulatōs fuisse honores arbitremur, plenum carmen ad Iuris quoque consultos digigitum intendit, est enim tale:

Dat Galenus opes, dat Iustinianus honores.

Author
vitz Chris
toph.
Longolij.

Possem hinc tota agmina producere eorum qui Consiliarij, qui Prætores, qui Iudices, qui Cancellarij, qui Principum, qui Regum, qui Imperatorum intimi fuerunt; qui legationes amplissimas obierunt; qui titulos, & dignitates maximas acceperunt; quia Iurisperiti erant. Sed obuia prætereo. De Christophoro Longolio multa præclara iudicia principum viri fecere. A rege Hispania Philippe duodeviginti annos natus, sanctioribus illis reconditarum rerum notis, quibus hodie unis omnium prope regnorum arcana committuntur, præfectus. A principibus Pannonia magno proposito premio accersitus, ut regem puerum optimis artibus instituendum susciperet. A Ludovico XII. Francorum rege non unius aut alterius sua ditionis urbium, sed uniuersi regni viribus uno edicto est donatus. Consilij centumuiralis Parisiensis irati summo eum consensu in collegium suum

benefactorib. rerum peritis, amicis debitus. 151
suum cooptarunt, habiturum in perpetuum in
vita & necis, ac summam fortunarum omnium
potestatem, non in plebem modo, sed in omnes re-
gni proceras. Vicesimo octavo etatis anno à Leo-
ne X. Papâ & Rom. pop. ciuitas ei Romana
ultrò est oblata, virtutiq; & literarum ergò ci-
uis factus. Quae res quamuis initio multarum
illi turbarum causa fuit, multis clam inui-
dentibus, nonnullis verò nobilissimis viris eum
oppugnantibus, & virtuti eius obrectantibus,
ita ut etiam perduellionis crimine accusaretur,
tamen optimè cecit, nomenq; eius & gloriam
magnopere auxit. Postquam enim amicorum
cura defensiones eius in lucem prodiere, ita ab
omnibus sunt probatae, ut multi dicerent, non
Longolium ciuitatis donatione ornatum, sed
ipsum ciuitatem illis orationibus ornasse, in qui-
bus ciuitati vetera sua ornamenta omnia resti-
tuisse videretur. Principi verò ita placere, ut
oblitus penè quid aduersario eius tribuisset, què
paulò antè, nulla magis re alia motus atque eius
in Longolium actione, in familiarium numerum
receperat, protinus iuberet, ut diplomata Lon-
golio expedirentur, quibus ratum esset, quod
S. P. Q. R. de ciue eum asciscendo decreuisset,
praeterea quòd ipse de privato arario ad tuenda
studia eius concessisset, atque ad eum ubicumque

terrarum esset, deferrentur, ea tamen lege, ne sedem studiorum alibi quàm in Italia poneret. Multis præterea honoribus affecit: nam in Palatina & Lateranensis aula comitatum sua sponte cooptavit, & in Romani pontificatus scribarum numero esse voluit. Eum populus Florentinus non solum in civitatem suam ad instituendam bonis artibus iuventutem inuitavit, verum etiam vicena quina in annos singulos sestertiorum nummum millia ex arario publico decrevit. Tanta in existimatione fuit Christophorus Longolius, ob litteras profanas, etiam apud non profanos. Qui neque iura, neque iustitiam curant, neque Iurisperitos magno opere curant. Quocirca eos honore prosequi, existimant, esse oleum perdere, aut Orestis pallium texere. Boni & æqui amantes, etiam hoc æquum putant, atque ex lege fieri, vt amentur legum amatores.

§. VII.

Theologorum ac SS. Patrum honor.

De ijs, qui ob peritiam scientiæ sacræ sunt ad maximas dignitates promoti, quid dicam? cum eorum multitudo numerum superet? Quanti enim ad mitras, & tias, ad Episcopatus, & purpuram Cardinalitiam, denique ad Sedem Apostolicam (quæ est

est summa in terris dignitas) ob Theologiæ studia sunt euocati? Quis nescit, quo in honore sint SS. Patres? Composuit multa sermone Syro Efram Edessenæ Ecclesiæ diaconus; qua ex re, teste Platina, tantam consecutus est authoritatem, vt, post lectionem, Scripturæ sacræ, publicè in quibusdam Ecclesijs eius scripta legerentur. Isidorus Alexandrinus presbyter, sub Theophilo Episcopo, tantæ fuit etiam Gentilibus admirationi, vt, quemadmodum olim principis Apostolorum, ita & illius vmbra reueriti sint, sicut refert Palladius. S. Ambrosij tanta fuit opinio, vt se se illi neque ipse Imperator Theodosius auderet opponere, quamuis eum sacer Antistes Mediolani ab aditu templi repelleret, quòd, indicta caussa, Thessalonicæ, tot mortales interfici iussisset. Quod factum vsque adeò omnium, qui aderant, animos permouit, vt summa illa in Ambrosio maiestas, veluti vox de cælo demissa, cunctos perterrificerit. Itaq; & ipse Theodosius cum summa animi æquitate domum redijt, conscius sibi illatæ cædis, nimis præcipitatæ. De D. Augustini, Hieronymi, Gregorij, Chrysostomi, Basilij, Athanasij, aliorumque SS. Patrum nomine & fama,

Egnat.
lib. 2. c. 5

In vita S.
Bernard.
lib. 1. c. 11.
& l. 2. c. 1.
& 2.

extant multa in vita eorundem; & apud ipsum D. Hieronymum, in tractatu de scriptoribus sacris. D. Bernardum sanè omnes cum timore & amore quodam venerabantur, suum sensum eius prudentiæ & sapientiæ submittentes. *Stampis in Gallijs, concilio convocato, ad sedandum schisma inter Innocentium II. & Petrum Leonis, qui se Anacletum vocavit, causa cognitio tota ad illum reiecta est. Persuasit is toti concilio, ut reciperent Innocentium: idem Henrico Anglia regi, qui Innocentio erat iniquior. Mediolanenses omnia illa, qua tetigisset, sancta arbitrabantur: vellicabant pilos, quos poterant, de vestimentis eius, & ad curandos morbos illis utebantur.* Itaq; & ob peritiam diuinarum litterarum, & ob opinionem sanctitatis fuit Bernardus eminentissimus, per omnia immortalibus, quàm mortalibus similior, cuius vim dicendi curiæ, & aulæ ubique senserunt. D. Thomam Aquinatem, ob doctrinæ sacre maturitatem, totus panè orbis terrarum veneratur, eiusque vestigijs insistens, quæstiones Theologicas exponit. Fuit in his talibus mira industria, excellens eruditio, sed par quoque virtus, & studium pietatis, quæ scientiarum, atque virtutum mixtura, præ alijs omnibus profanæ litteraturæ

benefactorib. rerum peritis, amicis debitus. 155

raturæ Doctoribus, illis ingentem peperit
authoritatem. Et certè, nisi religio, & pie-
tas cum scientijs etiam sacris coniungatur,
præstaret ignorantem esse. Quia ille *seruus*, Luc. 12.
47.
*qui cognovit voluntatem domini sui, & non
preparavit, & non fecit secundum voluntatem
eius, vapulabit multis: qui autem non cognovit,
& fecit digna plagis, vapulabit paucis.* Scien-
tia itaque sola, apud Deum, homini pœ-
nam, non gloriam auget. Semper cohorre-
sco, quando recordor, Origenem & Ter-
tullianum in hæresin lapsos perijisse. Quid
prodest, scientiam alicuius, apud homines
laudari, & animam illius apud inferos cru-
ciari? Interim tamen non Theologis solùm,
verùm & Philosophis suus est, apud homi-
nes, honos.

§. VIII.

Quàm fuerint honorati Philosophi?

De Hieronymo Fracastorio, scribit au-
thor vitæ illius, eum, cùm non solùm medi-
cus, verùm etiam Philosophus & Poëta ex-
cellentissimus esset, in tanta fuisse existima-
tione, vt, cùm Carolus V. Imp. Pescaria in
Algeriam transiret, & Fracastorius è Ca-
phijs villa sua proxima spectatum quoque
descendisset, Madrutius Tridentinus prin-
ceps

Plutarch.
in Numa.

ceps solum ipsum in numerosa hominum turba Cæsari digito demonstrârit; *Hic est Fracastorius ille*, inquiens. Romani oraculo iussi, vt sapientissimo & fortissimo, inter Græcos, apud se statuas locarent, duas æneas in foro posuere, vnam Alcibiadi, alteram Pythagoræ. Neque hi solum Philosophi vel digitis, vel statuis fuere honorati; sed, vt idem Plutarchus refert, Mithridates Platonis gloria motus, eidem statuam dicit, egregium Sylonis opus, quam hoc modo inscripsit: *Mithridates Rhodoata filius, hanc Platonis imaginem Musis dicatam erexit.* Iouianus Pontanus scribit, Captum ab Æginetis Platonem ab Anicere Cyrenæo pecunia redemptum, & liberum abire permisum. Pythagoræ quoque atque Gorgiæ, ob magnam in Philosophia præstantiam, præclaros datos honores legimus. Nam *Pythagora tanta veneratio ab auditoribus tributa est; vt qua ab eo acceperant, in disputationem deducere nefas existimarent. Quin etiam interpellati ad reddendam causam; hoc solum respondebant, ipsum dixisse.* Magnus honos, sed scholasticus. Illa urbium suffragijs tributa est. Enixo Crotoniata studio ab eo petierunt, vt senatum ipsorum, qui mille hominum numero constabat, consilijs*

Val. Max.

lib 8. c 15.

Et Cæl.

Rhod. lib.

19. Antiq.

lect. c. 7.

* ἀπὸς

ἐπέων.

benefactorib. rerum peritis, amicis debitus. 157

consilij suis uti pateretur. Opulentissimaq; ciuitas tam frequenter venerata post mortem domum, Cereris sacrarium fecit: quantumq; illa urbs vixit, & dea in hominis memoria, & homo in dea religione cultus est. Gorgia vero Leonini studijs litterarum aetatis sua cunctos praestantis, adeo ut primus in conuentu poscere, quae de re quisq; audire vellet, ausus sit, vniuersa Graecia in Templo Delphici Apollinis statuam solido ex auro posuit; cum ceterorum ad id tempus auratas collocasset. Oraculorum societatem dedere Chiloni Lacedaemonio homines, tria praecipua eius Delphis consecrando aureis litteris, quae sunt haec: *Nosse se quemque: &: Nihil nimium cupere, Comitumq; aris alieni atque litis, esse miseriam.* Quin & funus eius, cum victore filio Olympiae expirasset gaudio, tota Graecia profecuta est. Atq; hic Philosophus, uti & Plato, ad Ethicam pertinet. Ad Mathematicum spectat ea res, quam in Euangelio legimus. Siquidem Magis, qui Iudaeorum regem ex Oriente adoraturi venerant, tantum fidei, ob disciplinam astronomicam datum fuit, ut & Herodes, & tota Hierosolymorum urbs commoueretur, regemque novum cervicibus suis imminere expauesceret. Quamuis
vicissim

Plin. lib.
7. cap. 32.

Matth.
2. 1.

158 *Cap. IX. Honor coniugibus, dominis,*
vicissim Magi, quia principum religionis
Iudaicæ sapientiæ plurimum tribuebant, il-
lorum auctoritatem secuti, in Bethlehem
peruenerunt, Christumque Deum, quem
quæsierant, inuenerunt. Ad Physicum re-
ferendum est illud, quod de Aristotele me-
moratur, eum ab Alexandro Magno, pro
descriptis animalium naturis, subministratis
omnibus sumptibus, præmium insuper la-
boris accepisse octoginta talenta, hoc est,
secundum quorundam calculum, corona-
torum aureorum millia quadringenta octo-
ginta: quemadmodum & Xenocratem Phi-
losophum quinquaginta per legatos talen-
ta, aureorum videlicet millia triginta. Illo
autem recusante, quod tanta pecunia dice-
ret sibi opus non esse, legatis reuersis di-
xit Alexander: *Quid? nullosne habet amicos,*
quibus beneficiat? ostendens diuitibus opti-
mum usum pecuniarum, si quidem ijs be-
ne erogandis, quam malè defodiendis uti
malint.

§. IX.

*Pulchrum ab eloquentia nomen qui sine
sortiti?*

De oratoribus, & Pœtis magnificè ho-
moratis, præcedente capite etiam multa dixi.

Hic

Hic tantum adijcio, Dionem historicum, ob insignem facundiam, *Chrysothomum* fuisse appellatum: quod nomen etiam Ioanni episcopo Constantinopolitano, inter Ecclesie Patres, eloquentissimo est attributum. Cuius aureo ab ore, aureum orationis flumen manabat; & quoties e cathedra loquebatur, rosas loqui videbatur. Sine numero sunt talia. Ut enim Pericles, propter summam eloquentiam, qua fulgurare & tonitrua cedere videbatur, *Olympij* cognomen meruit; ut Sophocles, propter sermonis dulcedinem, *μέλιτρα*, seu apis nominabatur; ita & alij ab eloquentia nomen honorificum acceperunt. Nam, ut Plutarchus scribit, *Æmyliorum* genus à dulci facundia leporeque est nominatum: *αἰμυλία* enim lepiditas dicitur. Unde etiam *Lepidi* cognomen assumpsere; à quo procul absunt, qui ore & sale carent, & rore pascuntur, more cicadarum.

Plutarch.
in The-
mistocle,
Gyrald.
lib. 7. hist.
Poët.

Vide Plin.
lib. 11.
c. 36.

§. X.

Amici cur honorandi?

8. Amicos honore dignos quisque censeat, qui ipse vult expectatque ab amicis honorari. Eos colendos esse, docet Deus, qui ipse amicos suos honorat. *Mihi autem ni-*

Psal. 138
17

mis

mis honorati sunt amici tui, Deus, nimis confortatus est principatus eorum. Docet ratio; ut enim nauis diligenter compingitur, quæ sic in tempestatibus præsidio futura; ita amicus fouendus est, qui & ipse in aduersis debet fouere. Non exercitus, neque thesauri, præsidia regni sunt: verum amici, quos neque armis cogere, neque auro parare queas: officio & fide parantur. Id ipsum docet prouerbium, Amicus magis necessarius, quam ignis & aqua. Colendus est igitur, ne perdatur. Quia amico amici sumus, & non sunt amici, qui degunt procul; & vultu sæpe læditur pietas. De amicis honorandis multa Aristoteles, multa Cicero, multa alij. In diuinis mirifica Ionathæ erga Dauidem, & Dauidis erga Ionatham, amicitia describitur, qualis non fuit inter Theseum & Pirithoum, inter Damonem & Pythiam, aut si qui alij ab antiquis celebrantur. Sed abrumpo, quia complura extant volumina de hoc argumento; quod vel solum vno volumine non potuit comprehendere.

Sallust. in
Iugurt.

Aristot.
lib. 8.
Ethic.
Cic. lib.
de Amicitia.



CAPVT